

# VOLCMARUS

VIII,

EPISCOPUS PADERBORN.

Annus Christi 960.

Joannis XII Pont. 5.

Ottonis Reg. Germ. 25.

Volcmari Ep. Pad. 1.

**S**equitur nunc octavus, post Dudonem, Paderbornensis Episcopus Volcmarus, quem in xxvii annum præfuisse tradunt scriptores, Auctorem vitæ Meinwerci secuti. Verum ex quo vitæ instituto, aut quâ familiâ delectus, aut à quo consecratus sit Episcopus, hac super re, ut de superioribus, altum apud illos silentium: ego cum veteres Abbatum Corbeiensium fastos inspicerem, reperi ad annum Christi DCCCCLXXXIII adscriptum: *Folcmarus Monachus moritur Paderbrunnensis Episcopus*. Ex quo in certam conjecturam veni, Volcmarum ex celebri Corbeiensium monasterio, commendatione Ottonis Regis, delectum esse à clero Episcopum; quando per id tempus frequens fuit Sacerdotes, dicendi docendique populum facundiâ eminentes, ex cœnobijs ad Episcopatum evocare; quales sanè quàm plurimos ex hoc ipso cœnobio Corbeienfi & Fuldensi proferre licebit, etiam pari familiæ nobilitate illustres. Nec anni, quibus præfuisse scribitur, multum ab hac fastorum chronotaxi discordant. Sed res ab eo gestæ in Episcopatu magis in obscurajacent. Vixit Ottone I & II. Imperatoribus, feliciora etiam quàm Dudo Episcopus, sortitus tempora.

Volcmarus ex Corbeienfi monacho Episcopus Paderb.

Annus Christi 961.

Joannis XII Pont. 6.

Ottonis Reg. Germ. 26.

Volcmari Ep. Pad. 2.

Bellis adversus Sclavos confectis, subactisque Danis ac ceteris trans Albim populis, Otto Rex à Joanne Pontifice Romano ejus nominis XII, ac ceteris Italiæ proceribus imploratur adversus Berengarij tyrannidem. Rex haud secus quàm olim Carolus M. Pontifici Romano omne præsidium atque opem offert, alteroque post anno,

Otto succurrit Italici contra Berengarium.

Qq 2

Christi